



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. An ad satisfaciendum Legi, debet intendi finis Legis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

responderi potest talem voluntatem esse inefficacem, ac proinde non repugnare efficaciter impletioni præcepti, nec illam impedire. Id videtur certum, talem teneri saltem congruo tempore mutare intentionem, vel saltem judicare, se satisfacisse præcepto per actum positum.

Q. 2. An ad satisfaciendum legi debet intendi finis Legis?

Not. Duplex est finis, & modus legis, nempe intrinsecus, & extrinsecus. Finis legis intrinsecus est id, ad quod Legislator sua lege intendit obligare: unde est id, quod re ipsa per legem præcipitur, vel prohibetur. Extrinsecus est id, ad quod res præcepta dirigitur, & ordinatur à Legislatore. Modus autem intrinsecus est ille, sine quo substantia rei præceptæ impleri nequit, ut attentio interna in oratione: extrinsecus est is, sine quo substantia rei præceptæ poni potest.

Resp. I. Sine fine, & modo intrinseco legis non impletur præceptum, ut patet ex eorum notione. Unde uterque cadit sub præceptum.

Resp. II. Si finis extrinsecus, ad quem ordinatur actus præceptus, præcipiatur à Superiore, non satisfacit præcepto, qui illum sibi non proponit. Quia tunc non facit id totum, quod præcipitur; & finis ille

est etiam materia legis. Finis autem præcipi censetur, quoties præcipitur actus faciendus ob certum finem in lege expressum. Hinc si jejunium, vel oratio præcipiatur v. g. ad avertendam calamitatem publicam, jejunans, aut orans, sed non ex hoc fine, non satisfacit præcepto.

Resp. III. Si finis extrinsecus à Legislatore intentus non præcipiatur, satisfacit præcepto, qui opus præceptum exequitur, & si finem illum non intendat. Quia talis implet id totum, quod præcipitur, tunc enim solum præcipitur voluntaria executio operis. Equidem lex omnis dirigit ad finem, sed non omnis est de fine ipso. Unde finis præcepti non cadit sub præceptum, quando finis distinguitur ab opere præcepto, nec præcipitur intentio ipsius finis. Hinc satisfacit præcepto jejunii, qui unicam refectionem ex cibis licitis sumit, licet non intendat macerare corpus: quia hæc intentio non præcipitur ab Ecclesia.

Q. 3. An satisfacit præcepta, qui opus illius exequitur actu ex fine, vel circumstantia malo?

Not. Agitur hîc de lege humana. Nam Lex naturalis prohibet quemlibet finem, & modum agendi pravum, utpote dissensu naturæ rationali, præcipitque finem